




V
B J
C

Instructio super JUBILÆO Magno per Sanctissimum Dominum Nostrum Dominum PIUM PP. VI. ad universum Orbem Catholicum in Anno 1776. extenso ad Parochos, Concionatores & Confessarios Diœcesis Cracoviensis.

CAJETANUS IGNATIUS SOŁTYK

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ, EPISCOPUS Cracoviensis, DUX Severiæ.

Dilectis Nobis in Christo Admodùm Reverendis, Reverendis ac Religiosis Diœcesis Nostræ, Præpositis, Parochis, Concionatoribus, Commendariis, Vicariis & Confessariis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ac omnibus in cura animarum laborantibus Salutem in Domino.





Cùm Nos maxima urgeat sollicitudo, ut celebratio Jubilæi præsentis, per Sanctissimum Dominum Nostrum Dominum PIUM PP. VI. ad Orbem Catholicum extensi, in Diœcesi Nostra facienda, quàm uberrimos in salute Animarum adferat fructus, magnopere necessarium existimavimus, quædam saluberrima monita & informationes occasione Jubilæi ex Operibus immortalis memoriæ BENEDICTI PP. XIV. excerpta, vobis ob oculos quasi in compendio ponere, ut iis veluti optimâ regula, tam in tradenda de Jubilæo doctrina Catholica, quàm in moderandis Pœnitentium conscientiis, dirigi valeatis.

Ex Encyclica Ejus quæ incipit = APOSTOLICA CONSTITUTIO =

1mò. Jllud Evangelicis Missionum Operariis, Parochis, Concionatoribus, & Catechistis inculcatur, ut Catecheses ad populum habeant, in quibus Catholicam de Jndulgentiis, ac universali Jubilæo doctrinam explicent, iis posthabitis quæstionibus, quæ ad puram disceptationem per Polemicæ vel Moralis Theologiæ Tractatores agitantur. Satis enim erit fideli populo, si bene noverit, quòd Sacramentô Pœnitentiæ, quando quis bene illo utitur, culpa pœnaq; æterna dimittatur, temporalis verò pœna universa rarò tollatur, quæ ideò aut satisfactoriis operibus in hac vita, aut post obitum, Purgatorii igne remanet eluenda, ùt docet Sacra Synodus Tridentina Sess. 6ta. Cap. 14. & Can. 30. ejusdem Sess: sub tit: de Justif. Satis item erit si Fideles Christi sciant, quòd adsit in Ecclesia indeficiens thesaurus ex immensa meritorum Christi copia conflatus, cui & alia Sanctorum accedunt merita, quòd hujusce Thesauri dispensatio ab eodem Christo Domino Ejus in terris Vicario Romano Pontifici sit concredita, ideoq; providô Romani Pontificis consiliô, justis causis ita svadentibus modò ampliorem, modò contractiorem fieri posse horum meritorum applicationem, sive per modum absolutionis pro vivis, sive pro mortuis per modum suffragii, si tamen viventes culpam pœnamq; æternam per Pœnitentiam deleverint, defuncti verò Deo in Charitate conjuncti ex hac vita migraverint. Porrò hæc meritorum applicatio Jndulgentiæ Nomine donatur, quam quisquis rite consequitur, à temporali peccatorum pœna liberatur pro mensura applicationis, quam legitimus Dispensator concessit ac definivit. &c, &c Monendus etiam erit Christianus Populus, Jndulgentiam Anni Jubilæi plenariam esse, & ab aliis item plenariis, etiam iis, quæ per modum Jubilæi conceduntur distingui ideo, quòd Sacrò Jubilæi Annô Confessariis ad id designatis amplior tribuatur facultas in absolvendo à peccatis, & dispensando super vinculis & impedimentis quibusdam &c. Hæc docuisse satis erit, ut populus ea percipiat, quæ ad Jndulgentiarum materiem pertinent.

2dò. Hortamenta ac monita ingeminent, ut Fideles ad Annum Jubilæi accedant ritè dispositi, hinc ad validam & utilem peccatorum confessionem perficiendam populos erudiant, ut qui possunt, etiam ad generalem peccatorum confessionem instituendam facilè inducantur, quæ generalis Confessio tam per S. Carolum Boromæum, quàm per omnes pios & doctos conscientiarum Moderatores summè semper fuit commendata. Congruè hoc locô allegari possunt verba BENEDICTI XI. in Decretali = JNTER CUNCTAS = de Privileg. *Licèt non sit de necessitate iterum confiteri eadem peccata, tamen propter erubescentiam, quæ est magna Pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre.*

3tiò. Confessiones autem sive ordinariæ sive generales, carebunt eo fructu, qui expectatur, si non à probis, doctis ac in sana Ecclesiæ doctrina rite instructis Confessariis excipiantur. Longè major quàm alio tempore premit nunc Nos ratio, ut occasione Jubilæi vehementiori verborum vi Confessariis monita præbeamus. 1mò. Meminerint eos gravis criminis reos esse, qui in Tribu-

bunali Pœnitentiæ sedentes nulla tacti sollicitudine Pœnitentes audiunt, non monent, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, Absolutionis formam illico proferunt. Id non est agere Medicum, qui vulneri oleum ac vinum infundere debet. Tenetur igitur Confessarius bonum Medicum imitando, non solùm criminum circumstantias indagare, sed etiam confitentis indolem ac ingenium inspicere, ut illi succurrat congruis & oportunis remediis, ex quibus Animæ salutem consequatur. Tenetur diversis experimentis uti ad sanandum ægrotum. Unde si adverterit Pœnitentem omittere aliquod peccatum, in quo versatur, vel si aliquid criminosum de Pœnitente audierit, aut per aliquam prudentem conjecturam intellexerit, debet cautè ac prudenter monere, ac in memoriam Pœnitentis revocare, ut ritè comparatus Sacramenti Pœnitentiæ fructum percipiat. 2dò. Si fortè, quod frequentiùs contingit, Confessarius à Pœnitente audiverit, materiam peculiari examine dignam, caveat ne divinando resolvat, sed priùs oportuna consilia adhibeat. Cùm non omnes eâ polleant scientiâ quæ eminens vocatur, ideoq; qui hac destituti sunt, omnino ope peritiorum, & ope Librorum difficiliores casus, in Confessione occurrentes resolvant. Sciant tamen etiam Libros, aliàs Theologos Morales eligere, siquidem compertum est, quòd in tanta Theologorum Moralium copia *Complures opiniones*, verba sunt ALEXANDRI VII. in Decreto edito die 7ma. 7bris 1665. *Christianæ disciplinæ relaxativæ & Animarum perniciem inferentes, partim antiquæ iterum suscitantur, partim novæ produntur.* &c. &c. Itaq; Confessarii non innitendo in rebus dubiis propriæ opinioni, Libros consulant, sed eos, quorum doctrina solidior, & deinde illi adhæreant sententiæ, quam ratio svadet, ac firmat Authoritas. 3tiò. Meminerint Confessarii semper illius effati Cardinalis Bellarmini. *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Memores itaq; Propositionum hac in materia à S. Sede Apostolica damnatarum sub die 2da. Mart. 1679, Propositionis sexagesimæ cum tribus sequentibus, discant quibus in casibus concedenda, deneganda aut protrahenda sit Absolutio. *Nec absolvant eos, qui talis beneficii sunt incapaces quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena si possunt restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in meliùs emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant & scandalum tollant.* Verba sunt Ritualis Romani. 4tò. Meminerint quò ad satisfactionem, quæ Sacramenti Pœnitentiæ ultima pars est, eaq; integralis, quòd quamvis pia Mater Ecclesia emolliverit severitatem Canonum Pœnitentialium Antiquorum, non ideo tamen possunt Confessarii satisfactionem pro libitu & nimiùm indulgenter imponere, sed in hoc se juxta justitiæ, prudentiæ ac æquitatis regulas gerere debent. *Debent Sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggesserint pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit*

tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres credunt & docent. Verba sunt Concil: Triden: Cap: 8. Sess: 14 de Pœnitentia. Multum prodest Confessario notitia Canonum Antiquorum Pœnitentialium, quia quamvis eos in usum nequit revocare, potest tamen Pœnitenti eos innuere, & differentiam modernæ discretæ satisfactionis, ab illa severiori antiqua demonstrare, ut ita Pœnitens lubentiùs acquiescat impositæ sibi nunc satisfactioni.

Ex Bulla quæ incipit = CONVOCATIS =

1mò. Meminerint Confessarii concessis facultatibûs prudenter & circumspectè uti. *2dò.* Non possunt uti facultatibûs Jubilæi, nisi cum iis Pœnitentibus, qui illud consequi seriò & sincerè volunt. *3tiò.* Absolutiones, commutationes, dispensationes non possunt per Confessarios exerceri extra Actum Sacramentalis Confessionis. *4tò.* Non prætermittant suam cuiq; Pœnitenti salutarem Pœnitentiam imponere in Sacramento, ne prætextu quidem Jubilæi per eundem Pœnitentem consequendi. *5tò.* Ab occultis Censuris ob partem læsam incursis non priùs absolvant, quàm parti læsæ Pœnitens satisfecerit, vel si priùs Pœnitens nequeat, non eum absolvant, nisi juret se satisfacturum cùm primùm poterit. *6tò.* Violantibus Clausuram Monialium ad malum finem, in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quævis Monasteria & Ecclesias Monialium, monendo Pœnitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi à Censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam illam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem Censuras. *7mò.* Religiosos verò suam violantes Clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita à Censuris propter à incursis absolvant, ut super inhabilitate ulteriùs per hoc contracta ad Dignitates, & Officia sui Ordinis consequenda nullatenus cum iisdem dispensent. *8vò.* A lectione Librorum prohibitorum præsertim in Bulla Cœnæ contentorum non antè absolvant, quàm Pœnitens Libros, quos in sua potestate habeat Ordinario, aut Ejus Officio secretè vel ipsimet Confessario tradiderit, vel se quàm primùm poterit, traditurum promiserit, si tradere ante Absolutionem nequeat. *9nò.* Confessionem & Communionem pro hoc Jubilæo consequendo injunctas non necesse est Visitationibus quatuor Ecclesiarum præmittere. Satis erit vel in hujusmodi Visitationum decursu, vel etiam post easdem Visitationes expletas Confessionis & Communionis Sacramenta suscipere. *10mò* Cùm Confessio Sacramentalis in hoc Jubilæo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo, qui solis peccatis venialibûs teneatur, si hoc lucrari Jubilæum velit. *11mò.* Si quis post Confessionem peractam in lethale peccatum (quod Deus avertat,) inciderit antequàm omnia omnino opera pro Jubilæo hoc lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuò præmittere debebit, priusquàm ultimum saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut Indulgentiam hoc Jubilæo concessam consequatur.

Ex Encyclica, quæ incipit = FRA LE FATICHE.

1mò. Ad consequendum Jubilæum non sufficere Confessionem in voto, sed

ſed requiri omnino in re, quam expoſcit etiam ipſe tenor conceſsæ Jndulgentiæ *verè pœnitentibus & confeſsis*. 2*dò*. Circa *facultatem commutandi vota obſervent Confeſſarii, quòd non ſit facultas commutandi ſimpliciter & abſolutè, verùm commutando diſpenſando*, quæ res inter ſe diverſæ ſunt; nam diſpenſatio tollit obligationem voti, ſine ulla alia ſubrogatione, jam verò per commutationem non extingvitur obligatio voti, ſed materia voti transfertur in aliam materiam, quæ ipſi ſubrogatur. Commutatio ſimplex a commutatione mixta cum diſpenſatione differt, quia prima exigeret ſubrogationem materiæ majoris aut ſaltem æqualis, altera verò capax eſt alicujus moderatæ inæqualitatis inter materiam voti, & materiam ſubrogatam veluti commutatio diſpenſativa. 3*tiò*. Quamvis optandum eſset, ut Viſitatio Eccleſiarum in ſtatu gratiæ fiat, ac proinde vel poſt Confeſsionem, vel ſaltem poſt Contritionis Actum, quia tamen fragilitati humanæ commiſereri oportet, à fructu Jubilæi non excluduntur illi, qui non præmiſsa Confeſsione Viſitationem Eccleſiarum incipiunt, ac proſequuntur, dummodò tamen, quando ultimum opus perficiunt, in ſtatu gratiæ ſint, ac dummodò Viſitationes priores cum ſenſu devotionis adimpleantur, nempe cum intentione exhibendi DEO honorem aut Sanctis Ejus, atq; Actus Religionis exercendi. &c. 4*tò*. Jlle qui confeſsus animò lucrandi Jubilæum, poſt Confeſsionem Viſitationes Eccleſiarum incepit, & ante ultimam Viſitationem in mortale peccatum incidit, obligatus eſt ad repetendam Confeſsionem, antequàm Viſitationem Eccleſiarum compleat, ſed Viſitationes jam antè factas non tenetur reiterare. Sicut etiam ille, qui peccati alicujus in facta jam Confeſsione innoxiè eſt oblitus, tenetur ad Confeſsionem, antequam Viſitationes Eccleſiarum compleat.

Hæc ſunt quæ ex Operibus BENEDICTI XIV. excerpta Vobis præ oculis habenda proponimus. Cùm Bulla moderni Jubilæi extenſiva ſolo duntaxat mutato exordio concordet in ſuo toto tenore cum Bulla BENEDICTI XIV. quæ incipit =BENEDICTUS DEUS= Jubilæi pariter magni extenſiva, eapropter omnes ſupra excerptæ de Jubilæo BENEDICTI XIV. Præmonitiones & Reſolutiones, pro moderno etiam certiſsimas regulas præſeferunt. Reimpreſsam moderni Jubilæi Bullam una cum præſenti Jnſtructione Vobis omnibus diſtribui diſpoſuimus, ut Ejus contextum ſtudiosè relegatis, ac tam illi, quàm ſuperioribus Præmonitionibus inhærentes miniſterium Veſtrum dignè adimpleatis. Jnſuper pro uberiori informatione ſequentia etiam adjicimus. 1*mò*. Confeſsarii virtute moderni Jubilæi poſsunt abſolvere per ſe ipſos tantùm, & in foro duntaxat conſcientiæ Perſonas ſibi confitentes etiam Regulares, cujuscunq; ſint Ordinis, Congregationis & Jnſtituti, etiamſi ex præſcripto Superiorum, vel ſuarum Conſtitutionum etiam a Sede Apoſtolica approbatarum, vel alias ex Jndulto, Decreto, aut Præcepto Apoſtolico extra propriam Religionem peccata ſua confiteri prohibeantur, ab Excommunicationis, Suſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis Sententiis & Cenſuris à jure vel ab homine quavis de cauſa latis, ſeu inflictis, etiam Nobis & Sedi Noſtræ Ordinariæ ac Summo Pontifici & Sedi Apoſtolicæ etiam in Bulla Cœnæ Domini ſeu per alias quas-

cunq;

cunq; Apoſtolicas Conſtitutiones quomodòcunq; reſervatis, & à Sacris Canonibus fulminatis, dummodò tamen hujusmodi Cenſuræ non ſint publicæ; nec non ab omnibus peccatis & exceſsibus, quantumcunq; gravibus & enormibus, etiam Nobis & Sedi Noſtræ Ordinariæ, ac Summo Pontifici & Sedi Apoſtolicæ ùt præfertur reſervatis, injuncta ipſis Pœnitentia ſalutari, & aliis de jure injungendis. *2dò.* Omnia & ſingula ſimplicia vota etiam jurata, ac Sedi Apoſtolicæ reſervata (Caſtitatis, Religionis & Obligationis, quæ à tertio acceptata fuerint, ſeu in quibus agatur de præjudicio tertii, ſemper exceptis nec non pœnalibûs, quæ præſervativa à peccato nuncupantur, niſi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minùs à peccato refrenet, quàm prior voti materia) in alia pia & ſalutaria opera commutare valent. *3tiò.* Cum Pœnitentibus in Sacris Ordinibus conſtitutis etiam Regularibus ſuper occulta Jrregularitate ad exercitium eorundem Ordinum & ad ſuperiorum aſsecutionem ob Cenſurarum violationem duntaxat contracta diſpenſare poſsunt. *4tò.* Non eſt tamen data per præſens Jubilæum Confeſsariis poteſtas ſuper alia aliqua Jrregularitate vel publicà vel occulta, ſeu defectu aut nota, aliaq; incapacitate aut inhabilitate quoquo modo contractis diſpenſandi ſeu habilitandi, & quidem nec in foro conſcientiæ. Neq; etiam ulli Confeſsario facultas abſolvendi Complicem in quolibet inhoneſto contra *6tum.* Præceptum peccato, aut Complici Confeſsarium talem eligendi. Neq; demum virtute Jubilæi præſentis poſsunt abſolvi ii, qui à Sede Apoſtolica ab Officiis Noſtris Diœcesanis, vel ab alio aliquo Epiſcopo ſeu Judice Eccleſiaſtico nominatim excommunicati, ſuſpensi, interdicti, ſeu alias in Sententias & Cenſuras incidiſse declarati vel publicè denuntiati ſunt, niſi intra tempus celebrationis Jubilæi ſatisfecerint, & cum partibus ubi opus fuerit concordaverint. Uti hæc omnia clarè præſcribuntur in Bulla moderna §. NON INTENDIMUS *5tò.* Quamvis autem etiam in generaliſsima à reſervatis facultate cum expreſsione quoq; Bullæ Cœnæ Domini non comprehendatur conceſsa facultas abſolvendi ab hæreſi formali externa etiam occulta juxta Decretum Univerſalis Jnquiſitionis ſub ALEXANDRO VII. die 15. Maji 1665. editum, adeòq; etiam in facultatibus moderni Jubilæi minimè impertita eſt, tamen ut faciliorem Pœnitentes tempore præſentis Jubilæi habeant reconciliationem, vigore facultatum ſpecialium Nobis à S. Sede Apoſtolica conceſsarum, communicamus pro moderno Jubilæo omnibus Confeſsariis poteſtatem etiam à tali hæreſi formali externa tam occulta, quàm publica, ac à Cenſuris eam comitantibus quoscunq; Pœnitentes tam Eccleſiaſticos quàm Laicos utriusq; ſexus abſolvendi, prævia tamen coram Confeſsario abjuratione ſecreta hæreſis hujusmodi quatenus occultæ, quia publicæ, in qua aliquis natus eſt, publica abjuratio fieri poteſt. Cùm etiam inter Conjuges frequens accidat Caſus amiſsionis juris petendi debitum, ut illud quisq; Confeſsarius ſub tempus Jubilæi reſtituere valeat ſuis Pœnitentibus, facultatem oportunam per præſentes concedimus. Quod verò reſpicit impedimenta Matrimonii, ſciant Confeſsarii, quòd nullam u-

per

per eis virtute Jubilæi habeant potestatem, adeóq; circa dispensationes in Casibus Matrimonialibus nihil quidquam proprio libitu attentent, sed cùm ex aliquo Pœnitente intellexerint, eum in nullo Matrimonio vivere, protunc aut Romam ad S. Pœnitentiariam, aut ad Nos pro oportuno remedio recursum ex foro Pœnitentiali faciant, & se in talibus gerant juxta traditas per meliores Theologos regulas. 6to. Quò ad Pueros Communionis incapaces, quò ad Moniales, & quomodolibet in Clausura manentes, Anachoretas, Eremitas, in carcere aut captivitate existentes, tum aliqua corporis infirmitate, paupertate, seu quocunq; alio rationabili impedimento detentos quoscunq; tam Laicos quàm Ecclesiasticos Sæculares vel Regulares utriusq; Sexus datam Nobis potestatem dispensandi super Communione respectivè, super Visitatione Ecclesiarum, & hanc vel ad minorem numerum reducendi, vel loco ejus aliqua alia pia opera pro cujusq; statu & capacitate assignandi, transferimus plenè in Parochos & Confessarios, qui juxta datam sibi à Domino prudentiam in præmissis dispensent, restringant, & alia opera pro Visitatione assignare valeant. Illis verò Capitulis, Cætibus, Conventibus, Monasteriis, Sodalitatibus, Confraternitatibus, quæ capitulariter aut processionaliter Ecclesias designatas, tam Cracoviæ, quàm alibi visitabunt, Numerum quindecem dierum ad dies Octo Visitationum sive continuarum, sive interpolatarum reducimus & restringimus. 7mò. Moniales verò Earumq; Novitiæ ad faciendam Confessionem pro Jubilæo requisitam valeant sibi eligere quemcunq; Confessarium ab Officiis Nostris pro excipiendis Monialium quarumcunq; Confessionibus approbatum. Quam facultatem, tam toti Communitati Monialium cujuscunq; Conventus, quam etiam cuilibet illarum in particulari ac singulariter competere posse declaramus, & quidem non una vice tantùm, sed toties, quoties quævis voluerit, per totum tempus celebrationis Jubilæi in loco coram tali electo Confessario confiteri poterit. Imò etiam in locis ubi pauca Monasteria Monialium, adeóq; pauci pro Monialibus Confessarii deputati habentur, liberum sit tam Communitati Monialium, quàm cuilibet illarum coram quocunq; ex Parochis, sive Confessariis approbatis ratione jubilæi consequendi confiteri, in quo plenam iis & adhibendis Confessariis largimur per præsentes potestatem. Quam Mentem Nostram quibusvis Monialibus Confessarii Earum Ordinarii explicare tempestivè teneantur. 8vò. Ex rationibus Animum Nostrum permoventibus non deputamus selectos pro moderno Jubilæo Confessarios, sed omnibus & singulis Presbyteris per totam Nostram Diœcesim consistentibus tam Sæcularibus, quam Regularibus legitimam actualem à Nobis vel Officiis Nostris Approbationem habentibus facultates omnes moderni Jubilæi suffragari ac competere volumus, ac eos illis, servatis servandis cum Pœnitentibus suis uti posse declaramus. Cracoviæ tamen in solis decem Ecclesiis juxta Nostram Ordinationem pro hac Urbe editam Confessiones pro consequendo Jubilæo fieri poterunt, quam Nostram Ordinationem Confessarii Cracoviæ præ oculis habeant, jam autem extra Cracoviam per totam Diœcesim

sim in quacunq; Ecclesia tales Confessiones adimpleri valebunt. 9no. Injunctæ piæ preces in singularum Visitatione Ecclesiarum in Processu Nostro expressæ effundendæ, satis erit, si vocales fuerint. Qui sola mente ad fines propositos devotè orare voluerit, laudandus est, aliquam tamen etiam orationem vocalem adjungat.

Hanc brevem Instructionem Vobis exarare Officii Nostri Pastoralis esse duximus. Nunc concludendo revocamus Vobis in memoriam illa Christi verba, quæ totum Vocationis Ecclesiasticæ scopum constituunt: *Posui vos, ut eatis & fructum afferatis.* Satagite itaq; in vestris Concionibus, Cohortationibus, Catechesibus & Tribunali Pœnitentiæ Fideles Christi ita per semitas Pœnitentiæ dirigere, ut *fructus vester maneat.* Mementote Pastoris boni Salvatoris Nostri, cujus vices geritis, Qui non labores tantùm maximos sustinuit, sed vitam quoq; suam pro suis ovibus posuit, adeòq; demandatam Vobis curam salutis Fratrum Vestrorum alacriter suscipite, ac pro ipsius Christi Domini, Ejusq; Sponsæ Ecclesiæ Charitate strenuè & constanter exercete, amplissimam mercedem ab Eo sperantes, quam Ipse omnibus, qui sibi ministraverunt, retributurum spopondit. Concessis Vobis facultatibus utamini in solidum bonum Pœnitentium, in ædificationem non in destructionem, ut fideles Dispensatores inveniamini, & interim quovis momento quilibet Vestrûm percellatur illo timore Apostoli: *Ne fortè cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Datt Cracoviæ in Palatio Nostro Episcopali Die 11. Mensis Martii. 1776.

CAJETANUS EPISCOPUS
DUX SEVERIÆ.
mpp.



